

tur per modum constituti ex essentia, ut natura, et relatione, ut termino, concedo; si cum tali modo significandi quod significetur per modum formæ, seu termini constituentis, et includentis essentiam modo communi, et quasi transcendentali tantum, nego; sic enim est essentia per modum formæ Personam constituentis, non per modum Personæ constitutæ. Et quia essentia divina omnibus istis modis significari potest, in concreto, et in abstracto, ut forma constituens, et ut res constituta, quia omnia ista Deus sunt cum intra Deum sint, fit quod ex inclusione essentiae in relatione quomodocumque, non sequitur quod sit Persona, nisi etiam ex modo significandi, significetur ut constitutum, non ut forma constituens. Si autem includat essentiam, et significetur ut forma, non sequitur quod sit Persona, sed personalitas.

XXX. Ex his manent etiam soluta quædam inconvenientia quæ tamquam sophismata objici possunt contra nostram sententiam. Nam primo sequitur quod posset filiatio esse de conceptu paternitatis, si est de conceptu essentiae: nam essentia est de conceptu Patris, filiatio est de conceptu essentiae; ergo filiatio est de conceptu Patris. Secundo, sequitur quod essentia posset concipi conceptu relativo: consequens est absurdum: ergo et nostra sententia. Sequela probatur, quia essentia potest concipi eo conceptu quo constituitur, et est de ejus essentia, sed per se constituitur relatione: ergo potest concipi conceptu relativo. Minor patet, quia conceptus relativus est incommunicabilis, conceptus vero essentiae est communicabilis, et ideo essentia non generat, nec generatur, quia relative non se habet. Tertio, sequitur quod aliquid sit de conceptu essentiae in Patre, quod non est de

conceptu essentiae in Filio, consequens est absurdum: ergo. Minor patet, quia alias non esset eadem essentia in Patre et Filio, si quidem aliquid haberet de conceptu essentiali in uno, quod non in altero. Et sequela probatur quia Paternitas est de conceptu essentiae non adæquate, prout in omnibus Personis, alias paternitas communicaretur Filio, quod est hæreticum: solum ergo est de conceptu essentiae inadæquate sumptæ, scilicet prout in Patre: non ergo est de conceptu essentiae, prout in Filio: aliquid ergo est de conceptu essentiae in Patre, quod non est de ejus conceptu prout in Filio. Quarto, sequitur illud vulgare inconveniens quod Pater non communicaret Filio totam essentiam, quia non communicaret totum quod est de conceptu essentiae, scilicet relationem.

XXXI. Hac et alia similia sophismata ex dictis solvuntur.

Ad primum dicitur peccare illud sophisma sicut et illud vulgare: Pater est hæc essentia divina: hæc essentia divina: est Filius: ergo Pater est Filius; consequentia non valet, etiam loquendo realiter, et identice, quia mutatur quid in aliquid quæ est fallacia accidentis: ita enim Pater est hæc essentia, et hæc essentia est Pater, quod non adæquate est Pater, sed etiam Filius, unde non sequitur ex identificatione Patris cum essentia, quod identificetur cum omni alia relatione essentiae. Idem peccatum est in eadem consequentia, addito essentialiter, quia in divinis perinde se habet quod Pater sit Deus realiter, et quod sit essentialiter, vel etiam Deus sit Pater essentialiter: quidquid enim Deus est, essentialiter est.

Ad secundum distinguitur sequela. Sequitur quod essentia possit concipi conceptu relativo, sub præ-

ciso, et explicito conceptu essentiae, et ex modo significandi essentiam, nego; sub alio conceptu explicante modum, et terminationem personalem essentiae, transeat: sed hoc non erit sub conceptu essentiae, nec ut significatur illo nomine essentiae. Et ad probationem quod essentia potest concipi eo conceptu quo constituitur distinguo; si adæquate concipiatur, et explicetur, concedo; si inadæquate, nego; nec enim in conceptu inadæquato, et præciso oportet explicari omne quo constituitur in se, sed omne quo constituitur sub illa præcisione, et explicatione. Essentia autem explicat omne quod est constitutum essentiae, sub ratione quid, sed non omne constitutum sub ratione ad aliquid, seu sub ratione modi, quia non explicat omne quod est modificativum talis essentiae, et hoc modificativum etiam essentialiter est Deus, seu essentia divina, quia non habet aliam essentiam, et essentia divina, ob suæ perfectionis illimitationem, etiam talem modum essentialiter includit, quia omne esse divinum essentialiter includit; sed non sub omni conceptu explicat totum quod essentialiter includit; et sic prout explicatur sub conceptu essentiae, in quo præscindit a modificativis, non explicatur conceptu relativo, et incommunicabili, licet relativam rationem ibi includat.

Ad tertium respondetur distinguendo sequelam. Aliquid est de conceptu essentiae, prout in Patre, quod non est de conceptu essentiae prout in Filio, distinguo; quantum ad modificationem essentiae, transeat; quantum ad constitutiva essentiae, nego, id est, quantum ad aliquid, sed non quantum ad quid. Et sic cum infertur, quod erit alterius rationis essentia in Patre, quam in Filio, distinguo; alterius rationis

quantum ad constitutiva essentiae, et quantum ad quid, nego; alterius rationis, quantum ad modificativum, et quantum ad aliquid, transeat; opponitur enim una relatio alteri, et sic quoad hoc est alterius rationis. Unde non potest sequi, quod aliquid sit de conceptu essentiae in una Persona, quod non sit in alia simpliciter loquendo, sed solum quoad modificationem inadæquatam, et relativam.

Ad quartum jam supra responsum est quod Pater communicat totam essentiam Filio, sed non totaliter, et sub omni modificatione, id est, totam quantum ad quid, sed non quantum ad aliquid.

ARTICULUS III.

Utrum tres relationes dicant tres perfectiones, existentias, et alia similia attributa multiplicent?

I. Certum est quod sicut divinitas multiplicari non potest in Personis substantive, ita nec attributa, quæ omnino absoluta sunt, et non communiter prædicantur de relativo, et absoluto multiplicari non possunt substantive.

Et ratio est manifesta, quia in perfectionibus absolutis, nulla datur oppositio, nec relativa, quia absolute sunt, nec privativa, aut negativa, vel contraria, quia illimitatae sunt, nec ipsa oppositio per negationem, aut privationem fundari potest nisi in limitatione, et imperfectione, ut disputatione præcedenti, articulo quarto ponderatum est. Quare attributa ista non magis multiplicari possunt, et distingui quam divinitas ipsa. Unde in symbolo Athanasii dicitur: « Non tres æterni, sed unus æternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, etc. » quod intelligitur substantive: nam adjec-

tive multiplicantur ad solam multiplicationem suppositorum, unde dicimus esse tres Personas divinas, increatas, coæternas, coæquales; et in c. Firmiter, dicuntur omnipotentes, consubstantiales, etc. quod est manifestum, adjective ista multiplicari. Sed difficultas est de aliis attributis seu prædicatis, quæ non sunt omnino absoluta, sed etiam communiter prædicari solent de relativis, et absolutis, quia per modum transcendentalem prædicantur, ut tres res, tres entitates reales, tres unitates relativæ, et similia. In quibus aliqua non exprimunt determinatam perfectionem, ut tres realitates, tres unitates relativæ, alia perfectionem exprimunt, ut tres bonitates, tres veritates, tres existentias, tres infinitates, et similia. Et ideo difficultas est, quænam ex his multiplicari possunt, quæ non.

Quia tamen fere omnes istæ quæstiones dependent ex una priori difficultate, scilicet an relationes secundum suum proprium conceptum formalem, et non solum ratione essentiæ divinæ cui identificantur, sed in sua præcisione, et in sua linea dicant perfectionem, ideo hoc prius discutiendum est, et deinde discurrendum per attributa seu prædicata, quæ possunt relative multiplicari.

RELATIONES DIVINÆ QUOMODO DICANT
PERFECTIONEM.

Loquendo ergo de relationibus divinis, non ratione essentiæ cui identificantur, sed ratione sui formalis, et præcisi conceptus, ut relatio est, et ut distincta ab aliis generibus, et attributis, duplex est principalis sententia.

II. Prima tenet relationes secundum suum formalem conceptum, et præcisum, seu quatenus explicant

formaliter ad, non dicere perfectionem, seu non explicare ipsam. Hæc sententia attribuitur pluribus Thomistis, Capreolo in 1, dist. vii, qu. 1 ad iii, contra primam conclusionem; Cajetano hic art. ii; Bagnez ibidem; Ferrariensi ii contra gentil. c. ix, et aliis locis. Eandem tenet Scotus in 1, disp. iii, qu. 1 ad iv; sequitur Molina in hac quæstione xxviii, art. ii. disputatione ultima; Bellarminus lib. ii de Christo, c. xii. Imo et p. Vasquez hic disp. cxxi, c. vi, tenet quidem relationes in Deo dicere perfectionem, sed non perfectiones distinctas, etiam relativas, sed unicam. Quia duplex est bonitas, altera absoluta, et non est aliud quam perfectio integritatis, qua unaquæque res habet plene id quod ad suam rationem formalem, et constitutionem pertinet; alia est bonitas relate, scilicet ut aliquid est conveniens alteri. Prior bonitas invenitur in relationibus quatenus pertinent ad integram, et perfectam Dei constitutionem, quia sine ipsis integer, et perfectus Deus non esset. Sed hæc bonitas non sumitur ex relationibus tamquam ex partibus, sed per summam identitatem, unde non multiplicatur in relationibus, sed est una, et eadem. Bonitas autem relate non convenit relationibus realiter, quia non distinguuntur ab essentia, unde non conveniunt illi, nisi secundum respectum rationis, qualis invenitur ejusdem ad se ipsum. Hanc sententiam Vasquez reputat probabile p. Alarcon tract. v, disp. iii, c. iv, num. ix, eamque tenet Ruiz disp. xxx, sect. ii.

III. Secunda sententia non solum affirmat relationes divinas importare in suo conceptu perfectionem, sed etiam has perfectiones multiplicari in quantum relativas; et sic sub conceptu magis explicito relationis, et sub ipsa formalitate ad, ut ad, importare perfectionem. Ita tenet p.

Suarez lib. iii de Trinitate, c. ix, num. xiv, et sequentibus, et pro ea citat Gabrielem, Hervæum, et alios. Eandem sequuntur aliqui Thomistæ, ut Cabrera iii part. qu. ii, disp. iv, et in eadem inclinat Ledesma de perfectione divina, qu. iii, art. ii, qui tamen addit non esse admittendum quod aliqua perfectio infinita, etiam relativa sit ponenda in Patre, quæ non sit in Filio, vel e contra, quia licet illa perfectio in re sit infinita, tamen in quantum explicat ipsum ad relationis, non explicat rationem infiniti. Sequitur eandem sententiam m. Cano, et Torres citati a m. Bagnez hic art. ii, dub. i. Eandem sententiam ut probabilem defendit p. Alarcon ubi supra num. x, pluresque alios pro ea citat Ruiz ubi supra sect. i, licet ipse sect. iv, n. xvi, et sect. ix, n. xxi, existimet, improprie dici multiplicari in Deo reales perfectiones simpliciter simplices.

IV. Rationes quæ in hac parte difficultatem faciunt, pro prima sententia sunt. In primis est illud vulgare argumentum a posteriori, quia si relatio, ut relatio, est perfectio: ergo ut opposita, et distincta ab alia, perfectio est, quia relatio, ut relatio opposita est suo correlativo: ergo idem est dicere quod sit perfectio, ut relatio, ac dicere quod sit perfectio, ut correlativa, et ut distincta, seu in quantum distincta ab alia relatione. Quo posito fit argumentum: Sequitur ex hoc quod aliqua perfectio sit in Patre, quæ non sit in Filio, consequens est falsum: ergo. Sequela probatur. Est aliqua relatio in Patre, quæ non est in Filio, sed in quantum est in Patre, et non in Filio, seu ut distinguitur a Filio est perfectio: ergo aliqua perfectio est in Patre, quæ non est in Filio. Et sicut valet ista consequentia: Relatio prout in Patre, et ut distincta a Filio, est subsistentia, seu

personalitas: ergo multiplicata relatione multiplicatur subsistentia, cur non valebit eadem consequentia loquendo de perfectione, si relatio illa, etiam ut opposita, et incommunicabilis alteri perfectionem dicit, et ipsum opponi, et multiplicari perfectio est? Unde non potest fieri instantia de ipsa essentia divina, quia paternitas est essentia, etiam ut distinguitur a Filio, et tamen non est aliqua essentia in Patre, quæ non sit in Filio. Rejicitur tamen hæc instantia, quia essentia divina non est terminus explicans relationem, nec in essentia opponuntur relationes, sed identificantur, unde prout opponitur paternitas, non dicitur essentiam, licet in re illam supponat. At vero opposita sententia dicit quod relatio, etiam ut opponitur alteri, et distinguitur ab illa, et sub formali conceptu relativo explicante oppositionem, dicit perfectionem: ergo aliqua perfectio relativa est in Patre, quæ non in Filio. Minor vero argumenti facti probatur, quia si aliqua perfectio relativa est in ista relatione, v. g. in paternitate, quæ non in filiatione: ergo relatio paternitatis non est infinita in linea, et genere relationis. Patet consequentia. Non habet omnem perfectionem illius generis, si quidem aliqua perfectio est in relatione Patris, quæ non est in Filio: ergo non est infinita, quia illud est infinitum quod continet omnem perfectionem, nec aliqua ei deest in illo genere, in quo est. Nec potest dici quod relatio Patris eminenter, et virtualiter continet perfectionem, quæ est in relatione Filii, licet non sit formaliter relatio Filii. Contra enim est, quia paternitas non est forma eminentior filiatione, sed omnino æqualis ei: ergo non potest eminenter continere illam, sed vel formaliter debet continere, vel nullo modo.

A priori vero urget illa ratio:

Quia relatio licet in subjecto, in quo est sit perfectio ipsius subjecti, tamen respectu termini nullam perfectionem ponit, sed solum suam ei opponit: terminus enim non est aliquid perfectibile a relatione, si quidem perfectibile non opponitur suæ perfectioni, sed eam suscipit, relatio autem opponitur termino: ergo respectu ejus perfectionem non explicat: et sic prout ad perfectionem non dicit, sed prout in, scilicet respectu subjecti. Quod non est sic accipiendum, quasi ipsum ad in se perfectionem non dicat, cum revera ad in subjecto sit, et includat in, sed quia illam perfectionem quam dicit, respectu subjecti dicit, non respectu termini. Sed relatio non distinguitur ab alia relatione ex parte sui in, quia hoc habet ratione essentiali, sed ratione sui ad, ut tangit terminum, non ut subsistit in se, vel ut est in subjecto: ergo si ratione ad non explicat perfectionem, neque perfectio multiplicatur.

Denique, ad explicationem hujus mysterii non congruit hæc multiplicatio relationum, sed magis ad illam conducit, quod perfectio semper maneat una, sicut manet perfectio absoluta, et essentialis, sed quod solum in esse respectivo multiplicentur: ergo si potest salvari quod perfectio non multiplicetur, licet una, et eadem omnibus conveniat, multo congruentius est.

V. Pro secunda autem sententia est illud vulgare argumentum: Quia multiplicata entitate reali, necesse est multiplicari id quod ad talem entitatem sequitur; ad ens autem sequitur bonitas vel perfectio: ergo sicut dantur tres reales entitates relativæ, sic dabuntur tres perfectiones relativæ, quia perfectio est passio entis. Et urgetur hoc amplius in relationibus divinis, quia relatio, etiam ut distincta ab alia relatione, in Deo invenitur formaliter: ergo

est capax alicujus perfectionis: nam quod est incapax perfectionis maxime elongatur a Deo, qui est summa perfectio: ergo si relatio prout distincta est formaliter in Deo, oportet quod, prout sic, sit capax perfectionis: ergo distinctæ perfectionis, quia prout relatio distincta est. Si ergo relatio prout distincta, est capax perfectionis: ergo de facto habet illam, quia quod est capax perfectionis, et de facto non habet, caret illa; et sic erit res imperfecta.

VI. Secundo hoc urgetur, quia mysterium Trinitatis pertinet ad magnam, et intrinsecam perfectionem Dei, ita quod si careret illo, careret magna perfectione, cum in hoc mysterio elevetur Deus super omne quod a creaturis imitabile est, de Deo. Ergo non solum id quod pertinet ad unitatem Dei absolutam, sed etiam quod pertinet ad distinctionem Personarum, et relationum perfectionem importat in Deo: ergo id quod distinctionis est in relationibus, seu relationes, ut distinctæ, perfectiones dicunt in Deo. Et urgetur seu confirmatur amplius, quia si mysterium Trinitatis est perfectio Dei: ergo paternitas ut distinguitur a filiatione est perfectio in Deo, si quidem sine ipsa, ut distincta Deus trinus non esset: ergo etiam paternitas ut distincta a filiatione est perfectio simpliciter simplex. Patet consequentia, quia integrat, et constituit perfectum simpliciter simplex, scilicet mysterium Trinitatis, quia in Deo melius est ipsum mysterium quam non ipsum, et melior est relatio paternitatis, quam non ipsa, quæ est definitio perfectionis simpliciter simplicis. Et in hoc videntur dicta patrum convenire, qui dicunt sine Personis deitatem manere imperfectam. Unde dicit Athanasius oratione contra gregales Sabellii: « Res conditæ si non sint, non diminuunt conditorem: proles

autem si non coæternaliter coexistat cum Patre, detrimentum affert perfectioni illius substantiæ. » Et Nazianzenus: « Non esset deitas, si imperfecta esset; perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideraretur: desideratur autem si sanctitate careat, quam quomodo habeat, si spiritum non habeat. » Et denique Cyrillus in thesauri, c. 1: « Non potest esse perfecta deitas, nisi Filium habeat, et fructum ex se pariat. » Et sic disputatione præcedenti, articulo quarto probavimus fecunditatem, et generationem in divinis ad perfectionem pertinere. Damascenus etiam lib. 1 de fide, c. xi, dicit: « Patrem, et Filium distinguere perfectionibus personalibus. » Multiplicationem ergo perfectionum agnoscit. Et in epistola Agathonis papæ in vi Synodo, actione iv, dicitur: « Divinitatem Patris, et Filii, et Spiritus sancti esse in tribus perfectis subsistentiis, sive in tribus perfectis Personis. »

Ultimo: Tres relationes sunt tres subsistentiæ relativæ, seu personalitates: subsistentia autem est terminus substantiæ, et ad ejus perfectionem spectat: ergo etiam in divinis subsistentia, quæ est relatio tamquam ultimus terminus incommunicabilis est: ergo in quantum distincta ab alia relatione, et subsistentia: ergo distinctam perfectionem habet una relatio ab alia.

Et confirmatur, quia si solum in Deo esset una subsistentia, et personalitas, illa sine dubio esset perfectio, utpote reddens naturam illam ultimo completam, et terminatam: ergo si tres relationes vere, et proprie sunt tres subsistentiæ, et personalitates, cur amittent rationem perfectionis in quantum diversæ, quam haberent si solum essent una?

Confirmatur secundo, nam in divina natura esse communicabilem, maxima perfectio est, et propria ta-

lis naturæ; ergo etiam Personæ divinæ in quantum plures dicent perfectionem. Patet consequentia, quia in quantum plures, et distinctæ sunt capaces illius perfectionis infinitæ, quæ sibi communicatur, et illi perfectioni identificantur, habere autem perfectionem infinitam eique identificari non modica perfectio est sed maxima: ergo Personæ etiam ut plures, et qualibet ut distincta ab alia maxima perfectio fuit, et sic personalitas Verbi communicata humanitati Christi etiam ut distincta a Patre (paternitas enim communicata non fuit) maximam illi perfectionem contulit, et Personæ ipsæ etiam ut distinctæ, et quælibet earum seorsum ratione sui maximo amore, et veneratione sunt dignæ cum adorentur latræ: ergo sunt maxime perfectæ.

VIII. Inter has sententias probabilis iudico secundum mentem S. Thomæ relationes, etiam secundum se, et in linea, et formalitate relationis perfectionem dicere, sed non explicare illam per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad subjectum, et fundamentum. Et consequenter non multiplicari istas perfectiones in tribus relationibus, seu Personis, quia non multiplicatur fundamentum, sed eadem perfectione etiam ut relativa est gaudere.

Prima pars conclusionis desumitur in primis ex D. Thoma supra qu. xxvii, art. ii ad iii, ubi inquit, quod: « In ipsa perfectione divini esse continentur, et Verbum intelligibiliter procedens, et principium Verbi, sicut et quæcumque ad ejus perfectionem pertinent; » sed Verbum, et principium Verbi sunt Personæ, et relationes ut distinctæ: ergo si continentur in perfectione divini esse, sicut quæcumque ad ejus perfectionem pertinent, utique Verbum, et principium Verbi ad per-

fectionem pertinent. Et qu. viii de potentia, art. 1 ad 1, inquit, quod: « Divina essentia quia comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet relationem in ea inveniri. » Quæ ratio nihil valet, si relatio non dicat perfectionem. Item infra qu. xxix, art. iii, dicit S. Thomas quod: « Persona significat id quod perfectissimum est in tota natura, scilicet subsistens in natura rationali. Unde cum omne illud quod est perfectionis Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen persona de Deo dicatur. » In articulo autem quarto immediato dicit quod: « Persona in divinis significans relationem secundum quod facit distinctionem, et significat illam ut subsistentem. » Igitur relatio ut subsistens, et ut personalis, quod utique convenit relationi divinæ secundum se, et in linea, et formalitate relationis, licet non sub exercitio ad terminum, sed ut fundata est in suo fundamento, perfectionem dicit, si quidem nomen personæ, ut dicit S. Thomas est nomen perfectionis, ideoque attribuitur Deo ut persona relativa est, et relatione constituta. Videndus est etiam s. doctor qu. ix de potentia, art. iii, ubi distinguit in persona naturam, et modum quo existit natura. Et quidem natura est dignissima, scilicet intellectualis; modus autem existendi, quem importat persona est dignissimus, scilicet ut sic per se existens, et cum omne quod est dignissimum in creaturis sit Deo attribuendum, consequens est ut nomen personæ attribuatur Deo. Igitur D. Thomas ex eo quod modus subsistendi dicit perfectionem, attribuit illum Deo; sed relatio prout distinguitur nostro modo intelligendi a natura est formaliter, modus iste per se existendi, et incommunica-

bilis subsistentiæ, quia ipsa est quæ formaliter constituit personam in ratione personæ subsistentis incommunicabiliter, et distinctæ ab aliis Personis: ergo relatio intra lineam relationis in Deo perfectionem importat hoc ipso quod modum personalitatis importat. Denique in iv contra gentil. c. xiv, circa ix et x argumentum fatetur D. Thomas quod relatio in creaturis habet esse dependens non solum a substantia, sed etiam ab aliis accidentibus, ideoque imperfectissimum, et postremum; sed in divinis relatio non habet esse dependens, neque imperfectum. Ex quo colligit, quod: « Ex imperfectione, quæ in relationibus creatis esse videtur, non sequitur, quod Personæ divinæ sint imperfectæ, quæ relationibus distinguuntur, sed sequitur quod Personarum divinarum minima sit discretio. » Si ergo ex relatione etiam ut distinguente Personas non sequitur imperfectio in divinis: relatio ergo perfectionem debet importare in vi conceptus sui, etiam quatenus relatio distincta seu distinguens est.

IX. Quod vero hanc perfectionem non explicet per ordinem ad terminum, et sub exercitio ad, ut ly ad tangit terminum, sed ut tangitur, et nascitur ex fundamento, sumitur ex ipso D. Thoma in 1, dist. xxvi, qu. ii, art. ii ad iii et iv, ubi dicit, quod: « Quamvis relationi ex hoc quod ad alterum dicitur, non debeatur quod sit res quædam, est tamen res aliqua secundum quod habet fundamentum in eo quod refertur; et ex hoc ulterius habet in quantum divina, quod sit hypostasis, vel substantia: et ideo facit realem hypostasum distinctionem. » Et clarius in primo ad Annibaldum eadem dist. xxvi, qu. ii, art. 1: « Sciendum inquit, quod relatio dupliciter potest considerari. Uno modo, quantum ad id ad quod dicitur, ex quo non

habet quod ponat aliquid, quamvis etiam ex hoc non habeat quod nihil sit: sunt enim aliqui respectus, qui sunt aliquid secundum rem, quidam vero qui nihil, quod in aliis generibus non invenitur. Alio modo quantum ad id in quo est; et sic quando habet causam in subjecto realiter inest, et ipse respectus est realis. » Et idem fere tradit in hac quæstione xxviii, art. 1. Et ratio hujus manifesta est, quia illud ad, quod in se reale est, et in se perfectio est respectu termini, non ponit nisi respicientiam, et contra ipsum est: ergo non explicat, prout sic, realitatem, quæ sit, sed ad quam realitatem sit, nec respicientia ponit quidquam in termino, nisi esse respectum, nec a termino accipit perfectionem, sed solum correspondentiam, et correlatio nem, nec comparatur ad ipsum ut perfectibile ad perfectionem, sed ut purus terminus. In se ergo realitatem habere potest ratione fundamenti, quia ex ipso habet esse, et actualitatem, omnis autem perfectio dicitur ratione alicujus esse, vel actualitatis, et omnis realitas aliquam existentiam respicit, per terminum autem non habet esse, neque existentiam, seu actualitatem, sed tantum terminationem, ex ipso ergo non habet realitatem, sed ad ipsum. Et ita fundamentum est causa realitatis, terminus autem conditio, seu id circa quod exercetur realis oppositio, quia sine termino realis respicientia, et oppositio non esset. Unde D. Thomas dicit qu. viii de potentia, art. 1 ad iii, quod: « Id quod est proprium relationis, scilicet opponi, et distingui, realiter in divinis invenitur. » Quare non negat D. Thomas nec ullus ejus discipulus negare potest quod relatio, ut relatio, et ut exercet ad, et ut tangit terminum, realis sit, et oppositio, atque distinctio ejus sit realis, sed dicimus

quod realitatem hanc, et esse, et actualitatem, et consequenter perfectionem habet ratione fundamenti, et in illo ponit id quod est. Respectu vero termini exercet hanc realitatem quam ex fundamento habet, non ponendo eam in illo, sed contraponendo illi, aut respiciendo, et hoc est non explicare eam per ordinem ad terminum, quasi in eo ponendo, aut ab eo habendo.

X. Quoad secundam vero partem conclusionis, quod perfectio quam dicit relatio, et quam ex fundamento haurit, et secundam quam respicit oppositum correlativum, non multiplicetur, sumitur imprimis ex S. Thoma in prima parte, qu. art. iv ad ii, ubi dicit: « Sicut eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Unde dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius, nec sequitur, paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius: mutatur enim quid in ad aliquid: eadem enim est essentia, et dignitas Patris et Filii; sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis. » Unde fit argumentum: Quæcumque perfectio, etiam relativa, quæ est in Patre, pertinent ad dignitatem ejus: nam esse Patrem, seu principium Personarum dignitas ejus est, et hoc est quid relativum, sed dicit S. Thomas quod eadem est dignitas paternitatis, et filiationis: ergo eadem perfectio relativa. Item in quæstione viii de potentia, art. 1 ad xi, dicit S. Thomas quod: « Nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in divinis, et aliud essentiæ. Ratio autem non significat esse, sed esse quid, id est, quid aliquid est. Unde duæ rationes rei non demonstrant duplex esse ejus. » Si ergo esse relationis in Deo